DE GRAVIDITATIS SIGNIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS OBSTETRICIO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESCENDIS

DIE IX. M. AUGUSTI A. MDCCCXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAURITIUS SCHLESINGER

GLOGAVIENSI - SILESIUS-

OPPONENTIBUS:

Z. LOHNSTEIN, MED. ET CIHR. DR.

S. DAVIDSON, MED. ET CHIR. CAND.

S. WEISS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

DOCTISSIMO ILLUSTRISSIMO

BEER

MED. ET CHIRUR. DOCTORI, MEDICO PRACTICO APUD GLOGARIENSES, OB MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA.

PIO ANIMO

TENUE HOC IUVENILE OPUSCULUM

CONSECRAT

AUCTOR.

Introductio.

Constat inter omnes, medicinam utpote scientiam sola experientia nitentem, fidis potissimum medicorum observationibus indies ditescere, et ad quendam duntaxat perfectionis gradum provehi posse, ast quamquam experientia, quae, relictis prorsus vanae hypotheseos vestigiis, rem utut est, adnotat, semper iisdem scilicet rerum conditionibus, eandem sese manifestare debeat, tamen haud mirandum, variorum medicorum experientiam adeo variare, omnemque nostram scientiam tanta premi rerum controversia, ut vix stabile quidquam ab omni parte habeamus. Cuique etenim eandem licet rem observanti, pro peculiari suo ingenio, res aliter in sensus cadit atque ali, hinc illae lacrymae!

Quam nos adumbrare in hisce pagellis studemus, res, graviditatis scilicet signa, similem ex-

perta est confusionem; etsi enim omnes omnis aevi, medici, graviditatem, tanti momenti rem, omni attentione dignam, existimantes, signa ei propria accurate observare, eaque firme stabilire studuissent, tamen, quum ipse hic processus, densis hucusque obtegatur velis, difficile admodum erat dignotu, quaenam graviditati propria, aeque ac necessaria attribui debeant signa, quaeque porro minoris ad cognoscendam graviditatem sint momenti, quae deinde omnino fortuita, incerta, ideoque digna, quae reiiciantur phaenomena. Plurimi autem in eo peccavere, quod singulis plus aequo confiderint signis, reliqua neglexerint, sicuti vero ad stabiliendam, cuiuscunque morbi diagnosin, magni refert, omnia amplecti symptomata, eque collectis et comparatis invicem signis, concludere, ita quoque hic, non nisi ex omnibus signis habita ratione, universim spectatis affirmare licet, utrum gravida sit mulier? necne. Accuratior autem symptomatum comparatio, eo magis hic requiritur, quum magna sit aegritudinum cohors, quae singula graviditatis symptomata mentiantur, praesertim, quum ipsae mulieres medicum saepius in hoc errore perseverare optent, ut exemplum adducamus. Quae mox viro nupta est mulier, prolis desiderio flagrans, ad levissimam graviditatis notam attendit, gaudioque triumphat, si ullam animadvertere queat mutatio-

nem, quae haud raro morbo, ut plurimum abdominali, attribui deberet, quo fit, ut medicum a debellando revera morbo diutius detineat, illumque medicamina contra suspicatum morbum adhibere vetet. Sunt contra feminae, quae, quod comiserint, scelus abscondere studentes, medicum graviditatem ex se explorantem, omnis tudio fallunt, omnia idcirco phaenomena, quae graviditatem praesentem prodere potuerint, callide denegant, ideoque non solum impediunt, quominus ipse, de graviditate certior fieri possit, imo haud raro, dum alium simulant morbum, improbe a medico eiusmodi expostulant medicamina, quae abortui promovendo favent. Caeterum saepe quoque iudicis interest, qui medicum, de femina capitis damnata, suppliciumque graviditatis praetexta eludente, consulit. Denique interest ipsius medici, naturae et sanitatis ministri, quomodo enim hic succurrere, regiminique gravidarum prospicere poterit, nisi graviditatem cognoscat? Quam ob rem materiam medicorum attentione non indignam, penitius aliquantulum perscrutari haud ab re fore existimantes, graviditatis signa recensere, i. e. quid iisdem veri, quid ambigui, quid tandem prorsus falsi, insit, affere, quantumque fieri potest distincte diiudicare, quomodo a similibus morbis, quibuscum confundi solet, discrepet, in hoc libello nobis proposuimus.

Graviditas permultas easque, maxime conspicuas, secum fert mutationes, quae enim foecundo concubitu, concepit mulier, non solum se ipsam conservandi negotio, a natura cuivis organismo insito, pollet, sed etiam novo organismo condendo, impendit. Vita itaque plastica, mirum in modum in gravidis vigeat oportet, quum vero uterus, novi organissimi fomes, maiore nunc egeat sanguinis, utut vitae pabuli copia, illic quoque maiori cum impetu sanguis trahitur, quo fit, ut hocce organon, prae caeteris nunc insigniatur vitali turgore, atque contra, remotiores corporis partes, eo minori impertiantur nutrimenti copia, quod quoque difficultas vulnera, praecipue ossium, in gravidis sanandi, luculenter testatur. Quum vero omnia in corpore vivo systemata atque organa, arctissimo coniunctá sint vinculo, fieri non potest, quin hae mutationes in omnibus systematibus atque organis, plus minusve sese expromant. —

Praeterea partes, quae praecipue huic negotio inserviunt, systema videlicet genitale, multa exhibent symptomata, eoque magis perspicua, quo amplius iam progressa sit graviditas, quoque adultior atque maturior foetus. Ex hisce omnibus collectis atque spectatis certa graviditatis prosiliunt signa, quae mox adumbrabimus.

Perpensis illis, quae mox adnotavimus, facile adparet, quanta difficultate prematur signorum divisio, quum omnia admodum difficile ex uno derivari possint fonte, neque quidquam habeamus, quo initium apte capere queamus. Omnes itaque auctorum divisiones, uti in signa spuria et vera, necessaria ac fortuita et s. p. quippe quae omnino mancae sint, omittendas esse, opinamur, aptiusque fore in ipso graviditatis decursu, signa eius enarrare. Quae quo facilius autem perspici possint, ab initio ordiendum est.

Sub coitu factae mox conceptionis, haecce se offerunt signa; sensus quidam peculiaris voluptatis in utroque sexu, praesertim in feminis, summum ut plurimum, attingens fastigium; qui tamen sensus fallere quam facillime potest, cum non omnes eadem sensibilitate praeditae sint mulieres, neque desint exempla, quibus edocemur, mulieres absque ullo voluptatis sensu, concepisse. Paulo post concubitum, in sagacioribus feminis, observari solent:

dolor, levioris colicae, adinstar circa umbilicum. 1) Praeterea spasmodica abdominis inflatio, motus et calor vagans in infimo ventre, quem excipit totius corporis horror, praesto sunt, languent insuper artus, quare feminae uunc morosae factae, animo deiecto, quietem et otium amant, haud raro quoque mens lipothymia et vertigine obnubilatur. In utero ipso motum quendam inflationis, ac si borborygmi eum pervagarentur, percipiunt. Quae sensiliores sunt feminae, quendam in inferiore abdomine motum transversum, versus unnm alterumve latus, ex regione, qua ovarium situm est, ad uterum tendentem distinguere valent. Praeterea semen virile post foecundum amplexum in utero remanere solet, hisce autem omnibus, quae mox enarravimus, signis, fallacibus admodum, confidi non debet.

Primis, quae conceptionem sequuntur, septimanis, femina morosa, de anxietate quadam insolita conqueritur, ut se morbi cuiusdam prodromis tentari credat. Multae nunc invadere solent molestiae, maxime ex abdominalium genere, quibus nonnullae vehementer laborant, uti, sensus pressionis in hypochondriis, perquam molestus, horri-

---

1) Ambrasius lib. XXII. Cap. V. er Maurissau Tom. I. lib. I. cap. III. dolorem pisum embrouisement du bas ventre, nominat.

pilatio ac vomituritio. Praeterea sensus externi uti auditus, gustus, imprimis vero olfactus, mirum in modum alienantur, quare varia aboriuntur phaenomena, saepius enim cibos solitos respuunt, insolitos adpetunt, quod quoque de odoribus valet.

Multae quoque feminae hoc tempore ab Odontalgia ac Cephalea excruciantur, et varia animi pathemata experiuntur, quae tamen omnia, quum a systematis nervorum alienatione dependeant, non in omnibus feminis simili modo observantur, imo in robustioribus plane omnia desiderantur, quin in hystericis, si facta fuerit corceptio, silente quasi, quem ante graviditatem expertae sint, morbo, priora symptomata vel minuuntur, vel quandoque penitus evanescunt.

Sanguinis porro circulatio, quae in gravidis longe aliter fit quam in non gravidis, multa exhibet phaenomena, et in respirationis officio, quocum circulatio intimum alit commercium, variae obruunt mutationes, hinc gravidas saepe asthmaticas invenimus.

Ex inordinato autem sanguinis in singula organa impulsu, haemorrhagiae oxoriri solent; huc quoque menstruationis abalienatio in gravi is pertinet, quas accuratius perpendere non ineptum erit.

Quodsi feminarum organismum contempla-

mur, fugere vix nos potest, singulas in ipsis functiones longe aliter fieri ac in maribus. Natura enim feminae, novum quondam organismum ex se exculturae, eque proprio nutrimenti penu, aliturae, facultatem hoc officium praestandi, insiit, easque organo donavit, receptaculo quasi, quo sanguis in feminis copiosior, interim servetur. Ne tamen eo tempore, quo in finem destinatum non pervertitur, sanguis nimis in corpore accumuletur, variasque gignat molestias, natura prospiciens, regularem instituit sanguinis ex utero fluxum, in longe plurimis feminis, quovis mense irruentem, quem mensium fluxum nominamus. Quo vero tempore sanguis iste, ad nutriendum foetum perpendi incipit, eum per menstruationem ex utero eliminari non oportet, hinc summo iure, mensium cessatio, certissimum graviditatis signum existimatur, tamen non semper certo affirmari potest „ubi menstrua cessarunt, ibi graviditas;" quamquam saepius hac ratione, caeteris scilicet conspirantibus, concludere licitum sit, et feminae calculum ab hoc inde tempore incipiant. Respiciendum enim est, menstrua primo mense saepius non sisti, quin in gravidis iunioribus, sanguineque abundantibus, absque impedimento fluere posse, ita tamen, ut sensim sensimque copia decrescant. Imo non desunt observationes, quae fluxum in feminis valde plethoricis integrum,

usque ad dimidium graviditatis terminum, atque ultra, sine ulla noxa protractum fuisse, demonstrant. Quae serotina menstruatio quandoque gravioribus symptomatibus, uti abortus periculo non caret. Exstat praeterea rarum mulieris exemplum 1), quae sub graviditate solummodo mensium fluxum experta est, dum extra graviditatis tempus plane menstruatione destituta fuerit, hoc tamen semper respiciendum est, utrum ex aliis quibusvis causis menstrua substiterint, praesertim si mulier ullius momenti causas afferat. Et suspecta sane res est, ubi ipsa arbitretur, emenagoga fortiora sibi optime profore, tunc enim verisimiliter morbus quidam mensium cessationi subest, usque dum, nisi menstrua recurrant, per criseos speciem solvatur morbus. —

Quodsi vero mulier, medici arbitrio se relinquat, neque ei sanandi methodum praescribat, tunc iam de vera mensium suppressione ipse suspicari potest, quum illis mensium defectus contigerit, sine ulla conspicua causa neque criseos suspicione, quid? quod divus iam Cous 1) adnotavit.

Mirum porro uterum inter et mammas intercedit commercium, quo fit, ut quamprimum menstruatio cessaverit, mammae, futurae foetus

---

1) Hippocrat. Aphoris. Sect. V.

nutritonis fomes, intumescant, venis nunc coeruleis insignitae, papilla turget, et quasi inflata crassescit, cuius quoque color, naturali ex albido-rubello tunc temporis obscurior fit, qui eam ambit discus, latior factus eodem praeditus est colore, parvasque ostendit eminentias, quasi totidem papillas. Hoc quoqne tempore mammae dolere papillarumque fissurae atrocissimis sub doloribus fieri solent, plurimis etiam gravidis, exceptis nonnunquam primiparis, incerto tempore, ut plurimum circa medium graviditatis tempus, quin serius, humor quidam tenuis, albescens, e mammis effluit, qui striis lacteis intermistus, indolis lymphaticae, non sinceri lactis est; ne tamen hoc quidem signum infallibile haberi semper potest, siquidem rara licet, leguntur, virginum etiam lactantium exempla, et nutricum, quae infantem dudum ablactarunt, mammae saepe liquore quodam turbido lacteo, praesertim circa menstruorum tempus, impletae sunt. Ceterum omnes mammarum mutationes, etiam ex uteri, illis intimo nexu adiuncti, morbis, aliqua duntaxat ex parte, profluere posse, multae testantur observationes. Repetenda nunc veniunt phaenomena, quae in utero, in reliquis porro genitalibus, atque in vicinis partibus observantur.

Negari quidem nullo modo potest, explora-

tionem, omnium tutissimam esse veritatem investigandi viam, tamen et haec fallere potest. Quae tamen mutationes secundum ordinem enarrentur necesse est.

Primis post conceptionem hebdomadibus, uterus indeque abdomen aliquantulum intumescit, mollis tamen est, sicuti in statu normali ante menstruationis eruptionem esse solet, partes genitales compactiores sunt, atque magis prominent, meatus in vaginam siccus, calidus, quandoque admodum humidus, muco obtectus sentitur; portio vaginalis crassior, labia oris uterini magis tumida fiunt, os ipsum, quod antea rimam exhibuit, nunc in rotundam mutatur aperturam.

Secundo fere mense uterus tandem in pelvim descendit, quorsum abdomen nunc, praecipue in primiparis, iisque foeminis, quae nondum pluries in utero gesserunt, complanatur, uteri autem cervix in vaginam paululum detruditur, commodiusque nunc os uteri, parvum admodum et contractum exploratoris tactui sese offert, nempe ante uteri descensionem, digitus integer orificii altitudinem explorat, secundo autem tertiove mense, duae digiti phalanges in vaginam demissae, illud optime explorare valent. Verum enim vero non omnibus eadem est cervicis naturalis distantia, altiore aliis orificio, aliis profundiore, constans igitur signum haberi nequit, nisi orificii

naturalis iam antea cognita fuerit altitudo; quin et fallere potest omnis corporis habitus. Vagina brevior, eiusdem prolapsus, orificium uteri secum trahens, hydrops uterum deorsum premens, tympania, ullius alieni corporis in uterum pressio, quibus omnibus, uterus inferiora petere cogitur.

Sub tertii tandem mensis finem, embryonis incrementum sequitur uteri, nunc extra pelvim adscendentis, expansio, inde abdomen nunc iterum aequalibiter intumescit, uterus nimirum superiora versus recedens, magnitudineque iam conspicuus abdomen inflat, illudque indies magis magisque expandit. Ne tamen cum morbis graviditatem aemulantibus ipsa perperam confundatur, stabiliendum videtur, quid discriminis inter hydropem polypos aliosque eiusmodi morbos, et inter graviditatem intersit.

Tumor e graviditate ortus; continuatus esse debet pedetentim magis magisque increscens, aequali modo assurgens, nunquam vagus ac remittens, sed versus cordis scrobiculum sensim adscendens. Hisce vero rite consideratis, in aprico est, ante quartum mensem certo vix ac ne vix quidem, tradi posse graviditatis signa, quae etenim, de uteri in pelvim descensu, ventris complanatione, menstruis suppressis, mammarum tumore, aliisque signis adnotata sunt, omnia decipere medicum possunt, quippe quae graviditatem

mentientium morborum aeque sint symtomata. Ab hoc vero tempore tandem exploratio fide certiora docet, quodsi enim hisce enaratis modo phaenomenis, ex mensibus, mammis abdomine aliisque depromptis, embryonis motus respectu uteri flatus conveniens, accedit, sub succedente, quod praecipuum est, symptomatum morborum, si quae adfuerint, remissione, iam certo omnino gestationis suspicio adest. Hoc autem loco non ineptum fore opinamur, de foetus in utero, motu, dictis aliquid addere.

Constat, embryonis in utero materno motum, verae graviditatis esse testem, omni maiorem, quique prioribus signis additus, certitudini quasi coronam imponat, incertum quidem est tempus, quo mater primum foetus sui vitam percipit, primis etenim mensibus foetus, multo amnii liquori innatans, et nonnisi mollioribus adhuc instructus membris, vel nullum vel saltem non adeo perceptibilem edit motum, quodsi vero robustior fit, minorique liquoris amnii latice circumdatur, artubus suis ad domicilii parietes impingit, matri molestus, quin immo vehementioribus ictubus inimicus illi fit. Plerumque medio graviditatis termino agitationem matrici communicat, unde matres computare consueverunt, quot adhuc pariendi temporis sibi restat, ast perperam, quoniam ocyus aliae, aliae serius, primum embryonis mo-

tum comprehendant. Repetendo autem calculum a partu ad primam usque motus perceptionem, medius terminus in decimam nonam, vigesimamque secundam hebdomadem cadit. Si vero nonnullae feminae iusto citius istum motum sensiere, inde fortassis factum est, quod quamlibet abdominis agitationem, alienissimam saepe foetus motui istum esse putaverint, tales vero spuriae, ut ita dicam, motiones a tumoribus, hydrope saccato, in utero abdomineve, a flatibus, spasmis et vermibus in tubo intestinali oriri solent, atque praesertim, illas decipere valent feminas, quae graviditatem flagrantissime exoptant.

Redeo in viam. Quinto demum mense et postea signa ex cervice et mutato uteri orificio aptissime petuntur. Uterus nunc superior paulo, quam est pelvis superior apertura, in axi eius locatur, ita ut eius fundus medium locum inter cristam ossis ilei atque umbilicum teneat, abdominis tumescentia abscondi iam non potest, antequam venter subsideat, uteri orificium vix digitus assequi potest. Ipsum uteri os, mollius nunc crassius, quod antea durum erat, et quasi cartilagineum, una cum cervicis tumore.

Sexto graviditatis mense omnia fere eadem sunt, fundus vero uteri circa umbilicum animadvertitur, qui retrorsum quasi reclinatur, portio vaginalis brevior atque in dies mollior fit. Sub

finem huius, atque insequentis septimi mensis initium, certissimum tandem innotescit signum, ecce enim, caput foetus mobile exploranti digito ita offertur, ut impulsui facile cedat, moxque relabatur, quod phaenomenon, ascensus descensusque alternas vicissitudines servans, pruritus instar aliquoties iteratum satis iucundum est. Quod quidem signum, si circumspecte eo utamur omnium certissimum est, cavendum tamen est, ne symptomata e tumoribus in pelvis cavo oborta, cum hisce, ex foetus motione ortis commutemus. Fundus uteri septimo mense duorum circa digitorum mensuram super umbilicum prominet, portio vaginalis brevior adhuc et mollior facta est, orificium uteri, superius paululum versus ossis sacri cavum reclinatus.

Quae octavo mense in hisce partibus observantur, haec sunt: uteri fundus nunc inter cordis scrobiculum atque umbilicum commoratur, quae super abdominis tegumenta tensa sunt, in dextro inprimis latere, prope umbilicum infantis membra plus minusve evidentia sentiri queunt. Portio vaginalis admodum brevis est, crassa insuper et tumida adparet, uteri orificium non facile digito tangi potest.

Nono post conceptionem mense, uteri fundus in cordis scrobiculo haeret, ita ut nisi gravida per thoracis expansionem magis respirationem susten-

taret, quam per diaphragmatis motum, respiratio difficilis admodum redderetur. Fossa umbilicalis paululum attollitur, infantisque membra sat conspicue comprehendi possunt. Portio vaginalis perquam brevis, vix tangenda, retrorsum versus ossis sacri promontorium invertitur, infantis partes, quae mobilis globi adinstar sentiuntur, prone admodum iacent.

Decimo tandem graviditatis mense, uteri fundus, paululum repressus iterum medium inter cordis scrobiculum et umbilicum tenet, abdominis integumenta nunc laxa adparent, ipse umbilicus quasi cuneus prominet, quaeque ab externo tactu animadverti possunt foetus partes nunc evidentissime sese manifestant. Quum vero ob amplam infanti magnitudinem, uterum quam maxime extendi oporteat, hunc in scopum cervicis uterinae substantia quoque perpenditur, portio igitur vaginalis plane disparet, nihilque remanet, nisi oris labia tumidula, quae circa ultimum graviditatis tempus, tandem penitus evanescunt. Internum tunc uteri os, cum externo in unam commutatur aperturam, quae apropinquantem partum praesagit. Haec tamen sub graviditatis finem occurentia signa, in feminis, quae iam pluries partum enixae sunt, aliter se habent ac in primiparis.

Omnia quae secundum graviditatis decursum

regulariter eveniunt phaenomena, si contemplamur, eaque respectu signorum iis conspirantium si recensemus, fieri non potest, quin graviditatem a morbis illam imitantium, aliqua saltem cum certitudine, distinguere valeamus; symptomata etenim e talibus morbis orta, nec adeo certa sunt, neque omnino certo gaudent ordine. Certiores autem de graviditate reddimur, si cum hisce enarratis, in omnibus gravidis, plus minusve occurentibus, alia quae fortasse eveniunt signa, licet per se minoris sint momenti comparemus, qualia sunt: secretio cutis modo adaucta modo imminuta, cutis coloris alienatio, frequens erysipelas, exanthematum in fronte, inque facie ut plurimum collapsa, eruptio, lentigines praesertim in abdominis tegumentis. Praeterea haec quoque non adeo raro observantur symptomata: colli intumescentia quae in strumam saepius abit, dolor ad montis veneris latera inque regione inguinali, oedemata labiorum pudendorum, varices praesertim in interna crurum parte, e. s. p. Repetendum tamen est, quod supra iam effati sumus, hisce signis per se nil omnino certitudinis inesse, attamen medicum, qui iis bene uti scit in explorando graviditatis existentiam, multum adiuvare possint.

Quibus rite perpensis, luculenter patet, medicum obstetricium, licet artis non adeo peritum, in plurimis saltem casibus, graviditatem certe

explorare posse, eoque certius, quo magis graviditas in finem vertatur.

Absoluta pro viribus nostris, signorum normalis graviditatis enaratione, in opusculi fine nostrum esse censemus, circa graviditatis anomalae signa dictis quidquam adiicere. Oportet autem nos, ut fateamur, hocce non impavide in nos suscipere negotium, quippe quod maximis laboret difficultatibus.

Quodsi ovulum ex ovario per tubas Fallopianas, in locum destinatum, in uterum scilicet, non descendit, sed impedimento quodam ali loco adfigitur, ibique evolvitur, graviditas inde oritur, quam anomalam, extra-uterinam, nominare solemus. Triplex autem graviditatis anomalae est genus.

1. Ovulum seminis adspersione foecundum quidem factum est, sed in ovario remanet ibique crescit, conceptio et graviditas ovarii.

2. Foecunda conceptione ovulum ab ovario disiungitur, a tubis Fallopianis quoque excipitur ast non in uterum deducitur, sed in tuba ipsa haeret, ibidemque excolitur, quod sub graviditatis tubariae nomine comprehendimus.

3. Ovulum dissolvitur quidem ex ovario, sed quia tubarum fimbriae, ovaria non bene amplectuntur, ovulum ab iis suscipi nequit, sed in

abdomen cadit, ibique alitur, conceptio s. graviditas abdominalis.

Alio autem modo abdominalis graviditas fit, ubi per uteri vel vaginae rupturam, vel si graviditas extrauterina iam antea adfuerit, per tubarum vel ovarii rupturam, ovulum in abdomen incidit, quam graviditatem abdominalem secundariam vocant. Difficillimum sane est talem graviditatem certo affirmare, quum sterilis valde sit hucusque eius signorum observatio, haecce a plurimis medicis afferuntur signa.

Abdominis tumor ponderis pressionisque sensatione stipatus, in uno tantum latere, adparet, quo etiam latere, pars extrema inferior torpida est. Uterus vacuus, respectu abdominis, non adeo extenditur, portio vaginalis obliqua, id spectat organon, cui ovulum inest. Mammae primo paululum 'tumidae mox iterum collabuntur, nec quidquam fluidi exhibent, menstruorum fluxus magnopere variat, modo plane cessat, modo regularis pergitur, modo irregularis redditur.

Praeterea gravidae, frequenti febris insultui obnoxiae sunt, embryonis motus, alio loco observatur atque in graviditate normali, etenim in graviditate abdominali per abdominis integumenta per vaginam vel intestinum rectum sentitur. In graviditate ovarii dolores vehemen-

tissimi semper adsunt, tubariam conceptionem denique, materiei mucosae sanguinilentae effluxus, tempore, quo menstrualis fluxus olim invaserat, denotat.

Serius tandem ociusve, immutato plane uteri orificio, dolores partus vehementissimi, ăst frustranei irruunt.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Mauritius Schlesinger, Glogaviae, oppido Silesiae inferioris, parentibus, quibus adhuc vita valetudineque fruentibus, gaudeo, die XVIII M. Octob. A. MDCCCII, natus sum. — Primis literarum rudimentis in domo patris acceptis, annum duodecimum agens, gymnasio, quod ibi floret celeberrimo traditus, per plures annos doctrina atque institutione clarissimorum virorum, Klopsch, Severin, Bock, utebar, quibus praeceptoribus, debitas gratias refero. Res autem domesticae patris belli turbis, eo tempore ita erant pressae, ut, quo in universitate viverem, suppeditare non posset, qua de re, Posnaniam me contuli, ibique munere praeceptoris fungens, per annos tres versatus sum, semper literis incumbens.

Fortuna tunc temporis patrem adiuvit, melioribusque anspiciis, Anno MDCCCXXIII Berolinum

me contuli, optimisque testimoniis ornatus, civibus Universitatis literariae Rectore cel. Hoffman inscriptus sum.

Studiorum vero haec fuit ratio.

Docuerunt me: Methodologiam, cel. Rudolphi Botanicen cel. Link, Chemiam cel. Mitscherlich, Physicen cel. Fischer, Zoologiam cel. Lichtenstein, Osteologiam cel Knape. Praeterea lectionibus philologicis interfui.

Anno MDCCCXIV. M. Octbr. in Universitatem quae Regiomonti floret, Albertinam, me contuli, ibi hasce audivi praelectiones.

Anatomiam, Physiologiam et Biologiam docverunt me cel, Burdach, Anatomiam capitis cel. de Baer, de Materia medica, Therapia universali et speciali, ill. Richter, de Chirurgia universali et speciali, ophthalmialogia, ill. Unger disserentes audivi. In morbis syphilliticis ill. Sachs, in arte obstetricia tam theoretica quam practica cel. Henne me instituerunt. De optice cel. Hagen deque Philosophia cel. Herbart.

Per semestria duo Policlinicum medicum duce cel. Richter frequentavi, curamque aegrotorum in me recepi, aeque ac Clinico chirurgico atque ophthalmiatrico duce cel. Unger usus sum.

Semper quod Regiomonti degi tempus, ob summa praeceptorum in me collata beneficia, memoriae recens erit, prae omnibus vero viros illus-

trissimos Unger et de Baer, fautores benignos, ad cineres usque colam.

Idibus Aprilis A. MDCCCVI Berolinum reversus, civibus Universitatis Rectore Cel. Boek denuo inscriptus, Clinicum in Nosocomio Caritatis duce ill. Neumann omni studio frequentavi.

Tentamine et Examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, thesibusque defensis, spero fore, ut, summi medicinae ct chirurgiae honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Hydrops non est morbus sed symptoma.

II.

Phtisis tuberculosa nihil est nisi scirrhus pulmonum.

III.

Corpora anorganica non existunt.

IV.

Medici nascuntur, non fiunt.

V.

Bilis ex sanguine venoso paratur.